



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 40. Poli consilium de adhibenda lenitate in revocandis hæreticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

modi pertinaces innovatæ fuissent, hinc ^{Sæc. XVI.} Curia Patres de mediis deliberabant, ^{A.C. 1554.} quibus hæc statuta in usum deduci, ac rebelles ad finem Ecclesiæ revocari valerent.

§. XL.

Polii consilium de adhibenda lenitate in revocandis hæreticis.

Hanc in rem habebatur conventus, in quo Cardinalis Polus in hanc abiit sententiam, potius adhibendam esse lenitatis, quam violentiæ viam, eo quod severitas potius vulnera exulcerare, quam sanare soleat, nihilque amplius obtineri valeat, nisi ut Hypocritarum numerus augeatur. Ea propter Polus petebat, ut Pastores erga perditas oves suas pietatis viscera panderent, & tanquam misericordes in Christo Patres in errorem prolapsos, tanquam filios ægrotos, quos sanare, non occidere oportet, susciperent. His addebat, probe considerandum esse discrimen inter Regnum ab omni hæresis labe alienum, atque exiguo perversorum doctorum numero infectum, & inter illud, cujus Clerus, ac populus in profundam errorum abyssum prolapsus fuerat: in hoc enim ad illorum extirpationem nequaquam pœnarum severitatem esse adhibendam, sed potius er-

Sæcul. XVI. ranti populo spatium esse indulgendum
A.C. 1554. censebat, ut sensim a suis erroribus re-
 sipiscat. Præterea ex Poli iudicio op-
 timum Protestantes reducendi medium
 erat, si emendaretur Clerus, eoquod
 depravati illius mores nascenti hæresi
 ansam præbuisent, eapropter exopta-
 bat Polus, ut veterum Canonum usus
 restauretur, ac disciplinæ præcepta in
 primis sæculis usitata revocentur: „hoc
 „enim, inquiebat ipse, tutissimum est
 „medium, quo Protestantes ad obse-
 „quium reduci poterunt. Non eadem
 „omnino erat Gardinero sententia: nam
 hic contendebat, quod supplicia, qui-
 bus magis obstinati afficerentur, abs-
 dubio tantum incuterent terrorem, ut
 ceteri omnes Protestantes pœnarum me-
 tu coerciti facile sese submissuri essent
 omnibus, quæ ab ipsis exigenterentur: cum
 ergo Regina primævo naturæ vitio ve-
 hementis esset animi, haud ægre Gar-
 dineri consilio acquievit: ne vero Poli
 monita neglexisse videretur, eidem Cle-
 rum emendandi curam demandabat,
 Gardinero autem hæreticos ad melio-
 rem frugem reducendi sollicitudinem
 relinquebat. (*)

§. XLI.

(*) Cuncta hæc rursus Continuator pro-
 innata sua fingendi libidine absque ullo Au-
 ctore